

ANDRELINO (Fausto)

## DE PACIFICA FRANCORUM REGUM SUCCESSIONE

(116 vers)

v.1 Quis neget aeterno Francos a numine reges  
 2 tradita pacifica sceptra tenere manu ?  
 3 Solvitur ut moriens tenues regnator in auras,  
 4 legitimus tutas excipit alter opes.  
 5 Excipit et concors posito gens subdita Marte  
 6 dedita non ficta pectora mente vovet.  
 7 Et jurata fides solido stat firmior aere,  
 8 intrepida et spretae vita parata neci.  
 9 Utque apis unita jam jam moritura cohorte,  
 10 sic regem stipat Gallia densa suum.  
 11 Persane continuo ductor versabitur ore,  
 12 quum sint in Francum tam pia corda ducem ?  
 13 En vix nocturna Ludovico morte subacto  
 14 matutina gradu turba frequente coit.  
 15 Non secus ad grandis populandum farris acervum  
 16 formica aestivo spissa calore coit.  
 17 Inde salutatus cuncta rex voce ; novasti  
 18 pristina deformi squallida jura situ,  
 19 ceu vetus exuta serpens tunc pelle novatur,  
 20 quum verni spirans sideris aura tepet.  
 21 Apta gubernando praeponis pectora regno,  
 22 exigis et cupida praemia nulla manu.  
 23 Non bene venali residens Astraea sub hasta  
 24 prostat ut impleto publica scorta sinu.  
 25 Optima promittunt sperandam exordia finem,  
 26 gratia et est regni conciliata tui.  
 27 Semper magnanimi reseranda est principis arca,  
 28 et res aequali lance tenenda venit.  
 29 Ista regunt, solus puppim ceu clavus aduncam,  
 30 quem movet aequareis nauta peritus aquis,  
 31 sic Titus Ausonias sumens incepit habenas  
 32 finis et incepto est non aliena suo.  
 33 Propterea humanae fertur memorabile gentis  
 34 delictum, et Latii gloria prima throni.  
 35 Uncte coronaris sacro Francisce liquore,  
 36 quem tulit a summo missa columba polo  
 37 mystica christigeni quum dilluit unda lavacri  
 38 conversa in sanctam regia membra fidem.  
 39 Saulica non tali nec membra Davitica olivo  
 40 divino unxisti, jusse propheta, sono.

41 Tota Sophocleo resonanda est forma cothurno :  
 42 nunc brevis imparibus summa sit acta modis.  
 43 Post modo Sequaneis praecinctam fluctibus urbem  
 44 intras albenti conspiciendus equo,  
 45 cesserit armati sonipes cui Martis anhelans  
 46 dum rapido ingreditur moenia Thraca pede.  
 47 Dum flectis domitas animosus Castor habenas  
 48 tellus spumantem pressa tremebat equum.  
 49 Splendebas totus candentem indutus amictum,  
 50 Sithonis ut prima terra referta nive.  
 51 Grandibus et mirum preciiis adamanta gerebas,  
 52 quem tenuit Phario fratre marita soror,  
 53 et quam mordaci gemmam liquefecit aceto  
 54 regina immensae luxuriosa gulae.  
 55 Suffixa in longa cassis praecesserat hasta  
 56 atque Severina lata corona manu.  
 57 Praetereo armatas fulgenti ex aere cohortes,  
 58 candida et in trabea lilia texta tua.  
 59 Praetereo tetrica sanctum gravitate senatum,  
 60 atque omni plenas relligione vias.  
 61 Haec, haec Cumaeos laus est recitanda per annos  
 62 Gallia qua firmo nixa tenore viget,  
 63 ut viget Haemoniis Daphne Peneia campis,  
 64 quam nulla infandum polluit arte nefas.  
 65 Purpureus talos quadrupes velatus ad imos  
 66 gestabat capsula clausa sigilla brevi,  
 67 capsula quae numquam claves experta sinistras  
 68 unica iusticiae norma tenacis adest.  
 69 Pone subit magnus venerando Antonius ore,  
 70 quem Tyrion intexit tincta colore toga,  
 71 cuius et in prato posuit sua signa virenti  
 72 occulta immunis prodicione fides.  
 73 Atque novem verna Musae spatiantur in herba,  
 74 vivus et Aoniae fons scatet altus aquae.  
 75 Qui bibit, ut pastor patrii servator ovilis,  
 76 ex illo subitus fonte poeta redit.  
 77 Non tot ramosa viridantes arbore frondes,  
 78 quot tu principibus undique saeptus eras,  
 79 principibus possent totum qui sternere mundum,  
 80 ponere et ad patrios victa trophaea deos :  
 81 strenua magnanimo Lanconia Marte propago,  
 82 claraque Borbonii fama canenda ducis,  
 83 nobile Vindocino deductum a stemmate germen,  
 84 et quos praeterea longa referre mora est.  
 85 Eoa orbarant pretiosis litora conchis  
 86 vesteque Cadmaeam versicolore Tyron.  
 87 Non habuit solitum flavus quod volveret aurum,  
 88 et vacua exhaustus fluxerat Hermus aqua.  
 89 Pendentisque hirta torques cervice ferebant  
 90 quos valido partos Manlius ense tulit.  
 91 Antiqua huic potuit Roma invidisse triumpho :  
 92 tanta erat ornatu pompa videnda suo.  
 93 Ad tua conveniunt avidae spectacula gentes,  
 94 angustumque premit crebra caterva locum.  
 95 Non nova sufficiunt numerosasae pulpita turbae,

96           nec capit astrictas multa fenestra nurus.  
97   Mirantur roseos procero in corpore vultus  
98           et tractanda habiles fortia ad arma manus.  
99   Talem mirata est Pellidem Graecia, quando  
100          solverat in Phrygios vela petita focos.  
101   Omnis et unanimi manans vox publica ab ore :  
102          "En", ait, "en Franci stella serena soli,  
103   stella Dionaeo numquam caritura nitore  
104          quemque salutaris flamma dialis habet".  
105   Tardior occiduum Titan descendit in aequor,  
106          longius ut cernat praetereuntis iter ;  
107   aera et obscuro tenebrosum expellit Olympo,  
108          spectantem offendat ne gravis umbra deum.  
109   Nocturnas gemino pluvias a Pisce profusas  
110          defugat augusto mane revecta dies.  
111   Cetera cum magno superum Jove turba deorum  
112          plausa serenata gaudia fronte videt.  
113   Et Phoebus exultat madidas pellente tenebras,  
114          solvitur et seris gratia justa rotis.  
115   Quid mirum humana, rex alte, a gente colaris,  
116          quum tua sint toti pectora grata polo ?